



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput IV. Spei Christianæ certitudo absque salutis securitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

CAPUT IV.

Spei Christiana certitudo absque salutis securitate.

39 **S**pes Christiana salutem æternam certa expectat cum fiducia, ut ex ipsius definitione constat; & ideo Apostolus Hebr. 6. ipsam vocat *anchoram animæ intam & firmam*. Et Rom. 5. dicit quod *spes non confundit*. Et David Psalm. 21. *In te speraverunt patres nostri: speraverunt, & non sunt confusi*.

40 **F**undamentum istius certitudinis est non solum certitudo soliditasque rei speratæ, sed & misericordia & auxiliatrix Dei omnipotentia, & fidelitas ipsius in promissis servandis, de qua Psalm. 145. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, quibus salutem pollicitus est perseverantibus usque in finem in observantia mandatorum ipsius, Matth. 24.

41 **C**ertitudo tamen ista non præstat omnimodam salutis securitatem. Quia non est absoluta, sed conditionata, si in mandatorum custodia perseveraverimus. Et ideo firma quidem esse debet anchora spei nostræ, sed non absque morfu aliquo timoris; cum scriptum sit: *Qui stat, videat ne cadat*. Et, *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*. Propter quod Apostolus, adhuc post raptum suum usque ad tertium cælum: *Castigo (inquit) corpus meum, & in servitium redigo, ne forte, cum aliis predicavero, ipse reprobus efficiar*. Ut enim Tridentinum sess. 6. cap. 13. *Iusti formidare debent, scientes quod in spem gloria, & nondum in gloriam vocati sunt, de pugna qua superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperaverint dicenti: Debiles sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritui facta carnis mortificaveritis (in laboribus, in vigiliis, in elemosinis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate, ut antè dixit) vivetis*.

42 **C**ertitudo itaque spei Christianæ omnimodam non tribuit salutis securitatem (uti comminiscuntur hæretici) nec proinde securitatis occasionem. Neque enim Christianus Deus absolute promissit salutem, sed sub dicta conditione. De qua à se adimplenda nemo, citra Dei revelationem, omnimodam habere potest certitudinem. Quia licet Christianus, saltem justus, diffidere non debeat de auxilio Dei, diffidere debet de seipso, timereque de defectu liberi arbitrii, ponentis obstaculum peccati, ait S. Thomas hic q. 18. a. 4. ad 3.

CAPUT V.

Spes Christiana nec in hæreticis, nec in damnatis, nec in beatis reperitur; bene in animabus Purgatorii, & Catholicis viatoribus, etiam impiis.

Non in hæreticis: quia sine fide, nec spes, nec charitas subsistit. Spes proinde quam sibi hæreticus videtur habere, humana est, & naturalis; non divina, & supernaturalis.

Non etiam in damnatis: quia cum certissimi sint de æternitate suæ damnationis, salutem apprehendere non possunt ut futuram, imò nec ut possibilem, stante irrevocabili decreto æternæ suæ damnationis.

Neque in beatis, respectu gloriæ essentialis. Quia non est ipsis futura, sed præsens; & ideo Apostolus Rom. 8. dicit, quod *spes qua videtur non est spes*. Nec in beatis spes est respectu accidentalium gloriæ corporis: quia licet ipsis futura sit, ipsis tamen non est difficulter adipiscibilis, seu ardua. Et ideo sicut fides, sic & spes in patria evacuatur, tam quoad habitum, quam quoad actum.

In animabus verò Purgatorii spes ideo manet, quia non evacuatur per securitatem quam habent de gloria in futurum adipiscenda: eò quod eam adepturi non sint, nisi cum arduitate, mediante utique satisfactione, quam divinæ debent justitiæ.

Spem denique in Catholicis, etiam impiis, reperiri (dummodo eam non amiserint per peccatum desperationis, vel præsumptionis) probatur ex eo, quod quolibet mortali peccato spes non amittatur: cum peccatum quodlibet mortale ei non opponatur. Unde spes à Concilio Tridentino sess. 6. c. 6. requiritur tamquam dispositio ad justificationem peccatoris.

CAPUT VI.

Spei præceptum ac necessitas.

Spei, uti fidei, & charitatis, saltem imperfectæ, actus necessitate mediæ necessarius est ad justificationem impii. Quia Tridentinum sess. 6. c. 6. inter actus absolute necessarios ad justificationem impii, non fidei dumtaxat & charitatis (seu inchoati saltem amoris Dei tamquam fontis omnis justitiæ) sed & spei actum recenset; non proinde sicut divinæ justitiæ timorem, quem solum recenset velut utilem, quo *utiliter continentur*.

Præterea spei actus quibusvis hominibus ratione utentibus necessarius est necessitate specialis de ea præcepti, de quo constat ex variis Scripturæ testimoniis, quibus in Deo sperare jubemur. Unde Alexander VII. se-